

Vc

4667

11, 91.

1, 390.



90.



I
H

Ex

A
S.



5. 2

AVCTARIVM
COMMENTARII
DE BELLO
BOHEMICO
FERDINANDI II,
CÆSARIS

A VSPICIIS
FELICITER GESTO,

Ex quo seditiosissimum Calvinianæ sectæ ge-
nium, & præsentem Europæ statum
licet agnoscere:

A V C T O R E
A V B E R T O M I R A E O B R V X E L L E N S I,
*S. Theologiæ Licentiato, Protonotario Apostolico, & Sere-
nissimæ ISABELLÆ CLARÆ EVGE-
NIAE, Hispaniarum Infanti, à Sa-
cris Oratorij.*



COLONIAE AGRIPPINAE,
Imprimebat HENRICVS Krafft.

ANNO M.DC.XXII.



AD COMMENTARIUM
DE BELLO
BOHEMICO
AVCTARIVM

AVBERTI MIRÆI, BRUXELL.

IN memorabili ac miraculosa illa, an. 1620. die 8. Nouembr. per Cæsareanos obtēta ad Pragmam victoria, inter reliquam prædæ supellectilem, quæ militi nostro amplissima cecidit, *Christiani principis Anhaltini*, Vnionis, vt vocabant, Evangelicæ primarij fabricatoris, arcana consilia, & litteræ vltro citroque missæ sunt deprehensæ. Ex his nonnemo Commētarium, CANCELLARIAE ANHALTINAE titulo, *Cancellaria Anhaltina.* primùm Germanicè, post Latinè hoc anno 1621. euulgauit; vt impijssima ac seditiosissima Calvinianorum consilia, ad Catholicæ religionis & Augustanæ confessionis homines extirpandos concepta, vniuerso orbi patefaceret. Illius commentarij primaria aliquot capita hîc lubet delibare.

A 2

Septua-

4 DE BELLO BOHEMICO

Septuaginta plus minus anni sunt, cùm è Gallia Caluini heresis occultè in Germaniã irrupit, atq; in Palatinatu primùm ad Rhenum, fauētē sibi Principem inuenit. Omnes Imperij Ordines, cuiuscumque demum professionis essent, plenis comitijs, anno superioris sæculi sexto & sexagesimo, detestabilem sectam, ad regna turbanda ac perdenda natam, exosi, MAXIMILIANO II. Cæsare auctore, iuxta leges pacis annis superioribus stabilitæ, pellendam decreto publico censuerunt. Intercessere nonnulli è molliore ac mansuetiore Lutheri schola, quos iam clementiæ pœnitet, concepta spe, fratres infirmos (sic eos appellabant) tolerantia, temporisque lapsu emendari posse. Emendati sunt, vt leonum ac luporum catuli per ætatem è malis deteriores fieri solent. Cùm numero sensim animi creuerunt: nec iam ampliùs sese hospites & aduenas ferre, sed de exitio veterum inquilinorum consilia agitare, magna arte lites, more suo, in comitijs ferere, Augustanam Confessionem falsò ac simulatè profiteri, eiusdem Cõfessionis asectas, quibus suus in Imperio locus, Sinonianis dolis in societatem attrahere, in Catholicos varia crimina, quæ ipsi perpetrassent, conijcere, omnia demum miscere ac vertere.

Quocirca cùm multis iam annis consilia
& vo-

& vota in clancularijs ac vetitis, pro sectæ
 genio, coitionibus contulissent, anno de-
 mum millesimo sexcentesimo septimo,
 VNIO (vt ipsi nuncupabant) EVANGELI-
 CA, sed vero nomine Calviniana, in aper-
 tum erupit, sufflante in primis *Christiano*
Principe Anhaltino, qu. ùm in Gallia, tum in
 Batauia militans, Caluini spiritum profun-
 dissimè in pectus admiserat, eiusq; axiomata
 politica, seu potius diabolica altissimè im-
 biberat. Primùm itaque in nuptijs, natali-
 cijs, hastiludijs, & vœnationibus consilia
 clam agitata; post verò palam *Hala-Sueno-*
rum, Hailbrunnæ, Rottenburgi, Noriberge,
 & alibi.

*Vnio Pseudo-
 euangelica.
 An. 1607.*

TRIMUMVIRI demũ tres constituti, FRE-
 DERICVS Elector & Comes Palatinus Rhe-
 ni, CHRISTIANVS Princeps Anhaltinus,
 quem dixi, & IOACHIMVS ERNESTVS
 Brandenburgicus, cognomento Ansbacensis.
 Horum pijs scilicet pro libertate Germani-
 ca conatibus fulmen seu Bannum Imperia-
 le, in ciuitatem *Donauvertensem* legitimè cõ-
 tortum, profuit plurimum, effecitque vt
Argentoratum, Vlma, Noriberga (quas cæ-
 teræ vrbes minores, *VVormatia, Spira, VVeis-*
senburgum ad Rhenum, Landauia, Nordlinga,
Hala Sueuorum, Hailbrunna, Memminga,
Campidona, Rotenburgum, Suinfurtum, VVintf-
hemium, & VVeissenburgum Noricum, postea
 facile

Triumviri.

*Ciuitates
 XVI. Im-
 periales.*

6 DE BELLO BOHEMICO

facile, vt fieri amat, sunt secutæ) Vnioni accederent. Metuebant nimirum sibi ARGENTORATENSES, ob monialium Sanct. Margaritæ aut S. Mariæ Magdalenæ cœnobium recens incorporatum, vt loquuntur, atque euersum; VLMENSES, ob eliminatam Religionem Orthodoxam, NORIBERGENSES, ob Teutonici ordinis domum, contra ius & fas, occupatam. Tentarunt & Electorem Saxonem in societatem pellicere; quasi in eadem cum superioribus nauis existeret; ob Misnensem, Merseburgensem & Naumburgensem Episcopatus, iam olim ante annum 1552. quo Pax Imperij est constituta, à maioribus suis occupatos. Sed is abnuit, & nefariam conpirationem detestatus, priuatim publiceque in comitijs Imperij non semel professus est, nihil sibi cum illis commune esse, nec velle se impedire, quò minus ablata Catholicis, post annum 1553. monasteria ac prædia, iuxta sententiam à Camera Spirensi ac Tribunali aulico Cæsareo latam, restituerentur.

His ipsis temporibus, dissidiũ inter RVDOLPHVM Imp. & MATTHIAM, fratres Austriacos, gliscens, cùm in apertum quasi bellum erupisset, vt erant in omnem occasionem rei ex voto gerendæ intenti, *Anhaltinus*, eiusque fidus Achates Doctor *Camerarius*,

Varius, ann. 1608. Pragæ apud Rudolphum Cæsarem, falso communium grauaminum prætextu, altius intonuerunt, & inauditis antea comminationibus, per litteras Hala missas, ipsum Imperij caput, & Tribunal aulicum Cæsareum petiuerunt.

Coniuratis itaque numero & animo crescentibus, MAVRITIVS Hafsia Lantgravius, IOANNES FREDERICVS VVirtembergæ Dux, GEORGIUS FREDERICVS Marchio Durlacensis, & alij magno numero proceres accessere, auaritia, metu iudiciorum, aut egestate impellente. Hafsium certè inquietudo, & vicini Episcopatus, præ suis montibus, vbertas in causam traxit. VVirtembergicum cupido pariter alieni, & spes libertatis, ne vt vassallus Austriacis dominis clientelam deberet, ad societatem impulit. Durlacensem furia spoliatorum nepotum, pupilorum, vltrices in rabiem egerunt. Ceteros aut ambitio, vt *Fredericum* Palatinum, aut foeda cum luxu egestas vt *Anhaltinum*, aut æs alienum ad bellum suscipiendum incitarunt. Ciuitates denique Imperiales Principum ac Syndicorum artes subdola, & quorundam Senatorum emptã proditio fefellerunt.

8 DE BELLO BOHEMICO

Fuso fugatoque Frederico Rhenensi Palatino, victis ac subactis Bohemis, ubi se sibi relictum vidit BETHLENIUS, nihil studiosius procurandum existimavit, quam ut *Osmanem* Imperatorem Turcicum, hereditarium Christiani nominis hostem, ruptis vicennalibus Inducijs, in armorum contra FERDINANDUM societatem attraheret; illius nimirum Virgiliani memor

Flectere si nequeas superos, Acheronta movebo.

Nec precibus tantum aut litteris, sed & amplissimis muneribus, ac prædæ ex latè patentibus prouincijs copiosissimæ certa spe Turcas Tartarosque euocabat. Sed ubi opinione sua tenaciorem iurisiurandi Turcam reperisset, ad artes solitas conuersus, diu multumque in eo desudauit, ut fictis criminationibus *Ferdinandum* Cæsare apud Turcas traducendo suspectum redderet, quasi pacis pertæsus pactas cum ijs Inducias vellet euertere. Id antea sæpius irrito conatu tentarat: ac ubi victrices eiusdem Cæsaris aquilas capiti suo imminere sensit, validiore vtendum ratus ariete, litteras Hungarico idiomate, Ferdinandi nomine, conscribi, eiusdemque figilli ac chyrographi exacta imitatione communiri iubet: quarum exemplar ex Hungarico Latinè redditum hic libet subnectere.

Ferdi-

Ferdinandus II. Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Slauoniae, Rex, &c. Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Marchio Morauiae, Comes Tirolis & Ioritiae, &c. Spectabilibus, magnificis, egregijs & nobilibus Baronibus, Capitaneis, eorumq; Vicegerentibus, salutem & gratiam nostram. Antea mihi fideles optimi, qua ratione factum sit, vt anno superiore contra nos, & regnum nostrum arma sumpseritis, exploratum habemus, & ex fidei nostro Palatino Hungariae rectè intelleximus. Nimirum Turcici illius Principis Bethlenij in Hungariam improuisa irruptio vos eò adegit. Ceterum nos gratiam & beneuolentiam nostram clementer vobis offerimus, si gratia & clementia nostra vti velitis, si ab ipsius fidelitate desciscetis, si tam regnum, quàm consinia ad fidelitatem nostram reduxeritis, ac in ea conseruaueritis. Constat siquidem vobis, quod nos infidelibus Turcis vos & regnum non vendidimus, prout latro Bethlenius. Quin potius in eo sumus, vt omni vos clementia prosequamur, si ab ipso desciveritis: menstrua vobis stipendia exactè numerabimus, ac regnum ipsum in veterem libertatem asseremus. Atque idcirco tam numeroso cum exercitu fidelem nostrum campiductorem expediimus, vt Vacina confestim recuperata, Strigonium obsideatur. Experiantur potentiam nostram, tam Turcae, quam eorum pullus Bethlenius. Vos valere cupimus. Vienna Austriae 20. Maij anno 1621.

Ferdinandus.

Laurentius Ferenz sff.

A 5

Inscri-

Inscriptio litterarum talis erat. *Magnificis, Generosis, Egregijs Regni nostri Hungariae Capitaneis, Vice-Capitaneis, Comitibus, Baronibus, Censurionibus, Decurionibus praesidiorum Viuar, No-grad, Palank, Gyarmat, Zechen, &c. fidelibus nostris, &c.*

Ab instituto recederem, si longiore oratione persequerer, quot in vno scelere flagitia contineantur; si poenas falsarijs decretas recenserem; si Pandectas ad Legem Corneliam de falsis, retexerem; si rapinas, caedes, ac captiuitates innoxiae plebis, si plurium milium Christianorum, in Turcicam seruitutem abductorum, calamitates, si denique incendia, vastitatemque Austriae illatam per Turcas, huiusmodi litterarum figmentis concitatos, enumerando percenserem. Vnum hoc filere non possum nec debeo, multos rebellionis Hungaricae auctores ac fautores, in his *Tursum Palatinum, Georgium Radosium, cum fratre*, iusto Dei iudicio, per Gaborem veneno sublato esse.

Bellarminus moritur

Magno Ecclesiae Catholicae damno, **ROBERTVS BELLARMINVS**, S. R. E. Cardinalis, verò elogio **HAERETICORVM NOSTRI Aevi MALLEVS**, & Antagonista inuictus, hoc anno Romae Septembri mense decessit. Testamenti eius tabulas, pietatis ac modestiae plenissimas, quas ex Vrbe accepimus, in exemplum hinc visum est publicare.

IN

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Ego ^{Testamentum eius.}
 ROBERTVS Cardinalis BELLARMINVS,
 presbyter Cardinalis, è Societate Iesu assumptus,
 petij à s. mem. CLEMENTE VIII facultatem
 condendi Testamentum ad pias causas tantum, vt
 certus essem quòd ea, quæ mihi decedenti bona
 temporalia superessent, quæq; dum viuerẽ, dispen-
 sari pauperibus vel Ecclesiis non potuerant, vt pote
 meæ sustentationi necessaria, ad pauperes & Ec-
 clesias redirent. Concessit Pontifex Indultum te-
 standi generalius quàm voluissem, sed nõ accepta-
 ui, nisi ad pias causas, vt petieram. Habetur hoc
 Indultum inter alias Bullas mihi concessas, in ma-
 gno folio pergameno, cum plumbo, datum an-
 no Domini 1603. VI. Idus Aprilis, Pontifica-
 tus Sanctissimi Papæ CLEMENTIS VIII.
 anno XII.

Ergò hoc Indulto præsupposito, testamentum
 condidi Capuæ, cum essem Archiepiscopus eius ciui-
 tatis. Deinde illo abrogato, aliud condidi, sed pro-
 pter mutatas circumstantias, hoc secundo etiam
 abrogato, nunc iterum Testamentum condere sta-
 tui, cum sim annorum LXIX. sed mente & cor-
 pore per Dei gratiam beneualens.

Primum igitur spiritum meum in Dei manus
 commẽdatum, toto corde exopto, cui ab adolescen-
 tia seruire desideravi; & precor vt me inter Sãctos
 & electos suos, nõ estimator meriti, sed venia lar-
 gitor admittat. Corpus meũ non apertum, noctur-
 no tempore, sine alia pompa, ad Ecclesiã Societatis
 Iesu,

Iesu, vel Collegij Romani, vel Domus professæ deferri volo: & exequiæ fiant per solos Patres & Fratres Societatis, sine interuentu sacri Collegij, sine lecto sublimi, sine insignibus vel flabellis, eademq; simplicitate, qua ceteris de Societate Iesu fieri solent. Et hac de re, quàm maximè possum, Sanctissimum D. N. humiliter rogo, vt desiderio meo satisfaciat.

Quod attinet ad locum sepulture, libenter corpus meum iacere voluisssem ad pedes B. ALOYSII GONZAGAE, mei quondam spiritualis filij; sed tamen superiores Societatis, vbi voluerint, corpus meum ponant. De rebus temporalibus, mihi à Sede Apostolica concessis, vel vndecunque acquisitis, ita dispono.

Hæredem vniuersalẽ nomino & instituo DOMVM PROFESSAM ROMANAM SOCIETATIS IESV, in qua Religione nomen dedi. Volo autem vt primùm soluantur debita, si quæ fuerint, & iura ijs quibus debentur; deinde dentur familiæ ad 40. dies, more solito, quæ ad victum pertinent, id est, quod illis taxatum est in pecunia, pro pane, vino, & companatico. Neque aliud eis relinquere possum, cum ad solas pias causas Testamentum faciendi facultatem petierim; & eadem de causa singulis stipendium siue prouisionem dederim, præter victum. Fratri meo secundum carnem, vel eius hæredibus restituatur imago seu quadrum CLEMENTIS VIII. Pontificis Maximi. Nepoti meo ANGELO detur imago seu quadrum
Ro-

ROBERTI Cardinalis DE NOBILIBVS, & vnum è duobus quadris S. CAROLI BORROMAEI, & vna ex paruis Crucibus, quas ad pectus gero, cum Reliquijs inclusis.

Collegio Romano restituantur Annalium Card. BARONII Tomi VI. quos mihi accommodauit, & eidem dentur alij sex mei: nam cum hac conditione accepi à Collegio VI. primos tomos, qui nomine meo dati fuerunt Collegio eidem, ab eodem auctore, vt post obitum relinquerẽ integrum opus. Eidem Collegio relinquo vnam è tribus Planetis pretiosis, cum stola & manipulo, quam volueris, & omnia scripta mea, & totam Bibliothecam; nisi Reuerendissimo Patri Generali videatur Bibliothecam alicui alteri loco Societatis magis egenti applicare. S. MARIAE IN VIA, qui Titulus meus est, relinquo vnam è tribus Planetis pretiosis, quam hæres meus dare voluerit. Aliud Titulo meo non relinquo; quoniam satis multũ expendi in fabrica Ecclesia: vt Fratres illi sciunt, qui hoc ipsum petierunt loco paramentorum, quæ illis emere constitueram.

Reliqua omnia bona, quæ quocunque modo ad me pertinent seu pertinebunt, siue immobilia siue mobilia, siue se mouentia, siue iura, siue credita, siue sacra ad Capellam, siue profana ad vestiarium vel cellas varias pertinentia, siue pecunie numerata, siue quæcunque alia integra ad heredem, id est, Domum professam Romanam Societatis Iesu, vt dictum est, pertineant volo. Et in illis omnibus

bus & singulis ipsam heredem instituo & nomino.

Pro auxilio animæ meæ nihil relinquo, vel præscribo; quia parum admodum erit quod ad heredem meum perueniet, ut existimo, cum ego cumulandis pecunijs vel rebus pretiosis acquirendis nunquam operam dederim; tum quia confido, imò certò scio, non defuturam huic officio piam caritatem Matris meæ, Religionis videlicet Soc. Iesu, ut pro alijs filijs suis nunquam deest: & quemadmodum ego non defui, toto vitæ meæ tempore, pro defunctis Societatis sacrificia & orationes Deo offerre.

Executorem huius meæ voluntatis nomino, honoris causa, Ill. ~~mum~~ & Reu. ~~mum~~ Dominum meum Cardinalem ALDOBRANDINUM: labor enim, ut existimo, nullus erit in executione Testamenti huius. Relinquo autem eidem Ill. ~~mo~~ Domino meo id, quo pretiosius nihil habeo, id est, Crucem ligneam, Reliquijs pretiosissimis refertam, quarum Catalogus in scriniolo, cooperto rubro holoserico, inuenietur.

Hoc Testamentum valere volo, prioribus abrogatis, quæ in omnibus & per omnia reuoco, casso, & annullo, etiamsi hoc fortè non fuerit cum debitis solemnitatibus factum. Id enim aperte concedit Bulla Summi Pontificis CLEMENTIS VIII. in qua mihi data est facultas testandi, etiam per simplicem epistolam, vel schedulam manu mea subscriptam.

Ego ROBERTVS Cardinalis BELLARMINVS,

NVS,

NVS, vt *suprà*, instituo, dispono, lego, & testor non solum *præfate* sed *omni meliori modo*, die 23. Ianuarij, 1611.

Cæterùm **BELLARMINVS** in Monte Politiano (quæ vrbs est Etruriæ, Episcopali titulo insignis) ex **MARCELLI II.** Pont. Max. cognomento Ceruini, sorore natus, adolescens Societati Iesu nomen dedit. In Belgicam missus, annos aliquot **LOVANII**, magna eruditionis fama, Theologiam explicauit, & Latinè concionando, qua erat eloquentia, magnum sibi nomen peperit. In Italiam reuersus, **CONTROVERSIARVM LIBROS**, accuratissima methodo digestos, aduersus æui nostri Sectarios, incredibili omnium Catholicorum applausu ac fructu, publicauit. Et quamuis scripta eius per partes pestilentis cathedræ Ministri in Britannia, Germania, Gallia & Batavia vellicare ac refellere contendant, litus tamen arare frustra que sudare, à suis etiam commilitonibus passim iudicantur, non secus atque si dentem solido infigant atque infringant. Virum itaque de Ecclesia ac Repub. Christiana optimè meritum, quamuis inuitum ac renitentem, vt erat modestia singulari præditus, **CLEMENS VIII.** anno M.D.XCVIII. **CARDINALEM S. MARIE IN VIA** (quæ est basilica Seruitarum) omnibus applaudētibus, renūtiauit. Exinde

Ca-

CAPVANVS ab eodem ARCHIEPISCO-
PVS creatus, cùm aliquamdiu ea in vrbe re-
sedisset, suisque verbo & exemplo præiuis-
set, onus illud Angelicis humeris formi-
dandum deponere maluit, quàm absens (ad
Vrbē enim reuocabatur pro vniuersę Eccle-
siæ bono) annuis illius basilicæ frui prouēti-
bus aut dignitate. Magna itaq; sanctitatis o-
pinione, anno Christi M. DC. XXI. ætatis
LXXIX. mense Septembri Romę decessit.

*Ioannes
Berchman-
nus.*

Eodem anno, die XIII. Augusti, Romæ
viuere desijt, magna pariter innocentia ac
sanctitatis fama, IOANNES BERCHMAN-
NVS, ex eadem Societate, Distemij in Bra-
bantia genitus, annum agens secūdum & vi-
cesimum. Solitus is dicere, TRIA MIHI
SVNT CARISSIMA, videlicet Christus
crucifixus, Rosariū Deiparæ, & Regula Soc.
Iesu, CVM HIS LIBENTER MORIAR.

*Heluetiorū
Ciuitates
seu Canto-
nes XIII.*

Sub fœdere Heluetico Cantones seu Ci-
uitates XIII. continentur: *Vrania, Suitia, Sil-
uania, Lucerna, Tigurum, Clarona, Tugium, Ber-
na, Friburgum, Solodurum, Basilea, Schafhusa &
Abbatif-cella*. Ex his quattuor, videlicet *Ber-
na, Tigurum, Basilea, & Schafhusa*, à Romani
Pontificis obedientia recesserunt, & Calui-
nianorum Pseudosynodo Dordracenæ, ma-
gna Germanici nominis infamia, per Lega-
tos suos ann. 1619. subscripserunt; etli domi-
aliter sentiant. Cæteræ ciuitates omnes Re-
ligionem

ligionem Catholicam Romanam publicè
 profitentur, & habent Nuntium Apostoli-
 cum in vrbē Lucernensi ordinariè residen-
 tem. Claronæ tamen, & in alijs aliquot lo-
 cis, Hæretici Catholicis mixti viuunt. In
 spiritualibus porrò Heluetij subsunt *Basi-
 leensi, Lausanensi, Constantiensi, & Mediolanensi*
 Episcopis: habentque Mediolani suæ gentis
 Collegium, à *S. Carolo Borromeo*, institutum.

Præter XIII. Ciuitates, quas dixi, multa
 apud Heluetios sunt opida suo iure ac legi-
 bus vtentia; vt *Bada, Bremgartia, Damasia, Pa-
 terniacum Sempachium, Lausana* & alia. Sunt
 item Præfecturæ decem, quæ cõmuni Can-
 tonum imperio administrantur. Sunt deniq;
 Socij Heluetiorũ, vt *Abbas S. Galli* cū opido,
Rheti, Valesiani, & Rotuilla, vrbs Imperialis.

RHÆTI seu GRISONES, vt vulgò vo-
 cant, in *tria fœdera* seu *Ligas* sunt diuisi, quæ
 tres populos fœderatos complectuntur. Pri-
 mum fœdus XIX. Communitates, quas in-
 ter prima est *Disertina* Abbatia; secundum
 XX. Communitates, quarum caput est *Curia*
 vrbs Episcopalis; tertiũ X. Cõmunitates, quas
 Iudicia seu Iurisdictiones nominant, cõpre-
 hendit. Totus hic tractus Alpinus Roma-
 nis olim *Rætia superior* fuit. Gentem popu-
 lationibus & rapto viuere assuetam *Augustus*
Cæsar, ductu *Tiberij & Drusi*, primus per-
 domuit, perq; valles ac iuga Rhetica exerci-
 tibus

Opida.

Præfecturæ.

Socij.

Grisonum
status.

tibus Romanis compediarium in Germaniã iter patefecit. Romano Imperio collapso, Rhæti primò Frãcorum Regibus latè dominantibus, post Germaniæ Imperatorib. subfuerunt. Republica demum Helueticarum ciuitatum constituta, populi isti, montium atque interiectarum vallium incolæ, cœperunt magistratus sibi creare, mutuoq; inter se & sociali fœdere vicinis Heluetijs obstringi. Exinde pacta cum BLANCA MARIA, Duce Mediolanensi, & cum FRANCISCO I. Galliæ Rege, alijsq; postea Regibus & Insu-briæ Principibus inierunt. Quod quidem vtrumque fœdus Rhætos diu claros potentesque fecit; sed Venetum, paucorum amentia atque auaritia procuratum, ipsos in modum torrentis præcipites dedit; alijs exemplo futuros, ne quid temere in Religione aut Republica mutant.

*Veneto fœ-
dere euersus*

Iam inde ab anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono, *Alexander Aiardus*, homo Italus, de fœdere inter Venetos ac Rhætos paciscendo, cum paucis, qui se Rhætorum primores tunc ferebant, seriò egerat. Senatus itaque Venetus id nonnullis probari audiens, ann. 1603. *Ioannem Bapt. Padavinum*, Reipublicæ Secretarium, in Rhætiam misit, qui id fœdus rogaret. Sicque mense Augusto omnia festinanter transacta sunt, & Legatio mox Venetias decreta, quæ, nulla
mora

mora interposita, in viã se dedit, *Merico*, tunc
 HENRICI IV. Galliaë Regis legato, frustra
 obstare nitente, ac monete ne quid innoua-
 rent. Sed paucorũ, vt dixi, auaritia ac praua
 consilia præualuerunt: ex quibus nonnulli
 asseriebant, *si fœdus, Venetum fiat, haut esse du-
 bium, quin Euangelium* (sic pestilentem suam
 doctrinam Nouatores nuncupabant) *breui
 Venetijs vigeat, & per totã deinde Italiam propa-
 getur.* Id disertis verbis Carolus Paschalius,
 Merici successor, tradit libro de legatione
 sua Rhætica, an. 1620. Parisijs edito.

Sed PETRVS HENRIQUEZ, Comes
 Fontanus, Insubrię pro PHILIPPO III. Re-
 ge Catholico Gubernator, Rhætis, qui tam
 cupidè Venetum fœdus, amplexi essent ira-
 tus edixit, ne eæ merces, quas Germania &
 Insubria sibi mutuò suppeditant, deinceps
 eo itinere, quo itur in Rhætiam, veheren-
 tur. Ad Lacum insuper Larium, haut pro-
 cul ab ostio Adduæ fluuij, qui Vallem Tel-
 linam medius interfecat, tantum nõ in agro
 Rhætico, editiore loco, arcem ædificat, &
 valido præsidio firmam.

*Fontana
 arx ædifican-
 tur.*

Exinde domi apud Rhætos turbæ & fa-
 ctiones natæ: ac demum *Salici*, Venetorum
 fautores, cū Calvinianis præualuerunt. *Ioãnes*
 Episcopus Curiensis, *Rudolphus Planta*, *Iacobus*
Robustellus, *Ioannes Maria Parauicinus*, & alij
 proceres Catholici, quòd ab Insubrico fœ-

dere discedendum non putarent, in exilium abacti; *Nicolaus Rusca*, Archipresbyter Sondriensis, diris supplicijs è vita sublatus; alij varijs pœnis affecti aut fugati. Et verò de Catholicis vniuersè actum fuisset, nisi *Robustellus, Parauicinus, Guicciardus*, & alij viri nobiles, ad patriam à seruitute ac tyrannide liberandam, arma corripuissent, & anno huius sæculi vicesimo die 19. Iulij, subita irruptione facta, vt superius retuli, Calvinianos incautos oppressissent, imperiumq; arripuissent suppetijs ex Insubria mox aduocatis.

Actum postea de concordia inter partes, deque Republica pristinum in statum restituenda. Sed dum Lucernæ apud Heluetios, Nuntius Apostolicus, Legati Regum Hispaniæ ac Galliæ, alijque consultant; Rhæti moræ impatientes, Venetorum & Calvinianorum impulsu, copias conflant, & anni proximè sequentis autumno, Mediolanensem agrum hostiliter infestant, opidumque in finibus positum tentant. Sed octingentis circiter per nostros cæsis, & reliquis fugatis, domū victi turpiter redierunt.

Iniuriam illatam vlturus **GOMESIVS FIGVEROA**, Dux Feriæ, Prorex Insubriæ, cum exercitu mox adfuit, & mense Nouembri *Clauennam* opidum cum arce occupauit. Paulò post **LEOPOLDVS** Archidux, ex Prouincia Tirolensi in Rhætiam mili-

*Clauennæ
capitur.*

milite immisso, *Engadinam* vallem (quã *Oe-*
nus fluius permeat) & *Curiam* Rhætorum
 metropolim in potestatem redegit. Anno
 1622. auspicante, dum ista commentaba-
 mur, nuntiatum est, controuersias omnes
 Rhæticas esse compositas; Vallem *Telli-*
nam suę iuris deinceps futuram, salua XXV.
 millium aureorum pensione annua, Rhætis
 soluenda; *Clauennam* eisdem reddendam;
 Episcopum *Curiensem* in integrum resti-
 tuendum; & *Reipublicæ* administrationem
 penes Catholicos futuram.

Vallis En-
gadina.
Curia.

Pax Rhætica

Quod Hæreticis & Christianæ fidei ho-
 stibus est proprium, *ADOLPHVS GVSTA-*
vvs, Regni *Sueciæ* inuasor, Calvinistis insti-
 gantibus, vt *Polonos* à bello *Turcico* retra-
 heret, media æstate *Rigam*, *Liunionæ* metro-
 polim, terra mariq; obsedit, ac demũ expu-
 gnauit. Ne porrò latiùs arma sua *Suecus* dif-
 funderet, alijsque de causis *Polonus*, quam-
 quam victor, cum *Turca* pacem fanciuit. In-
 ter pacis cõditiones hæc vna fuit, vt *Valachie*
 & *Moldauix* Princeps Catholicus detur, *Pol-*
lono gratus, & amicus futurus.

Riga capi-
tur à Sueco.

Pax Turci-
ca.

NIHIL rerum mortaliũ tam instabile & fluxũ
est, quàm potentia non sua vi mixta; lib. 13. *Annal.*
ait, Corn. Tacitus. Id vetera, media, & no-
 stra sæcula abundè docuerunt. Inter veteres
IOAB, vir acer, callidus, sub *Dauid* Hebræo-
 rum Rege militiæ Præfectus, & arcanorum

Ioab Iudi-
brium for-
tuna.

B 3

eius

Apelles.

eius confiliorum arbiter, à *Salomone* successore est eversus ac cæsus. Inter Græcos **APELLEM**, Philippo Macedonum Regi proximum gradu & opibus, (sic vt ab ipso timeretur,) horæ momentum deiecit. Captus enim cum filio mox interfectus est: vt Polybius lib. 5. fusè commemorat.

Seianus.

AELIVS SEIANVS apud Tiberium Cæsarem gratiosissimus, & ad instar eius statuis honoribusq; cultus, vnà tandem epistola subuersus est, & *caput illud toto orbe secūdum*, vt Poeta loquitur, laqueo, suumq; cadauer opprobrijs, lacerationi & vnco præbuit. Similis potētia at-

Plautianus

que exitus **PLAVTIANI** sub Antonino fuit: vt apud Dionem Cassium legitur.

*Alvarus**Luna.*

Hispanos **ALVARVS LVNA** fluxæ potētiæ documentū simile existit. Ioannes Castellæ Rex eū super omnes aulicos amabat, opibus titulis ac præfecturis quotidie augebat. Pupugit id maximā procerum partem, qui hominem nulla militari arte, nullis virtutibus, vna ingenij dexteritate, & a smulatis ad tēpus officijs, ad eum gratiæ ac potētiæ gradū euectum, solumq; alieno nomine regnantem nō ferebant. Rex itaq; alienior factus **ALVARVM**, paucis consciis, in vrbe Burgēn, sagaciter in vincula coniici, per sententiā damnari, caput abscindi, & in foro per triduum

Philippa Catanensis.

ostēdi iussit. De **PHILIPPA CATANENSI**, Regni Neapolitani Senescalla, ex humili fortuna

tuna

tuna ad summum euecta, ac demum publicè
 in equuleo torta, Bocacius lib. de casibus vi-
 rorum illustrium, & post eum Petrus Mat-
 thæus scripserunt: quorum posterior & Se-
 ianum nobis ob oculos velut in scena repre-
 sentauit. CAROLVS CARAFA Cardinalis,
 eiusq; frater IOANNES Paliani Dux, quos ob
 nimiam licentiam patruus Paulus IV. Pont.
 Max. Vrbe eiecerat, successor Pius IV. morte
 mulctauit: Cardinali, fracto gutture, spiri-
 tus interclusus, Duci caput est amputatum.
 ROBERTVM EBROICVM, Comitem Essexium,
 in Anglia; CAROLVM GONTAVTIVM, Ducè Bi-
 ronium, CONCINVM CONCINIVM, Marchionem
 Ancrensem, eiusq; coniugem ELEONORAM, in
 Gallia; Melchiorè CLESÉLIVM in Germania;
 IOANNEM BARNEFELTIVM, in Batauia, aliaque
 fortunæ Ludibria, quæ velut manu tetigi-
 mus & oculis vsurpauimus, vel nominasse
 suffecerit. Agmen itaque claudat RODERICVS
 CALDERONIVS, cuius supplicio apud
 Hispanos annus hic insignis fuit. Is Antuer-
 piæ patre Hispano, ordinum ductore natus,
 primum apud Franciscum Rogium Sandoualliū,
 Lermè Ducè, qui omnia in aula poterat, post
 apud Regè ipsum philippum III. gratia miri-
 ficè valuit. In Belgica, cùm legatione extra-
 ordinaria apud Albertum & Isabellā Claram Eu-
 geniam, Principes Auftriacos, cōiuges, funge-
 retur, absens ab eodē Rege Comes Oliuæ, exin-

*Carafa
Card.*

Essexius.

*Bironius.
Concinus.*

*Cleselius.
Barnesel-
tius.*

*Caldero-
nius, anno
1621.*

de in Hispaniam reuersus *Marchio Septem Ecclesiarum* creatur, & ne quid deesset, cohorti Germanicæ, Regij corporis custodi, præficitur. In natura, moribusq; inerant bona, inerāt item mala: superbia & ambitio, vt solent, hominem in præceps dederunt. Contemptus aliorum, cōmune potentium malū, & aditus difficiles, auri argentique immensa vis, odium illi apud omnes pepererunt. Quod mirum in modū creuit cum Lermæus aula excedere iussus esset. Secessit itaq; Valisoletum cum eodem Calderonius, ibiq; aliquamdiu hæsit, vniuersa penè Hispania exclamante, & multa, vt fieri amat, crimina ex inuidia affingēte. Demum captus, per biennium & sex fere menses in vinculis fuit. Dati iudices viri integerrimi; qui de varijs criminibus conuictum capitis damnarunt: Trium itaq; mentium pœnitentia salutari expiatus, Madriti demum publico in foro, innumeraibili hominum multitudine concurrente, carnifici gulam secandam præbuit. Ad supplicij locum mula vectus est, per plateas præcone summam sententiæ, de more, inclamante, his fere verbis: *Supplicium istud huic homini abs Rege esto: quod vnum alterumue è vita tollendum per nefas mandarit, seu consenserit, quodq; alia crimina ac maleficia perpetrarit. Pro his ad supplicium extremum ducitur vt ceteris documentum detur. Qui sic deliquit, pœnas dato.*

dato. In medio foro suggestus seu theatrum erat amplū, & cathedra in eo lignea. Eâ post preces, & absolutionem publicè à sacerdote, monacho Carmelita discalceato, acceptam conscensâ, manibus pedibusque ligatis, guttur carnifici cultro incidendum fortiter atque intrepidè extendit. Ingēs mox circumstantium ploratus ac gemitus est consecutus. Nimirum variæ rerum imagines, vitæ item ludibria ac iactationes hominum mentibus occurrebant. Nuperæ felicitatis, cùm præsentī fortuna, funestissimoque exitu, comparatio lacrymas etiam inimicis excussit. Cadaver à meridie vsque ad noctem in suggestu relictum, & è domo vicina linteum velut pro paupere acceptum est, quo sepeliretur homo ante regijs penè opibus, ad omnium inuidiam, splendidus atque opimus. Sic res humanæ variant. Liceat hic exclamare, quod Laberius olim dixit;

Summum ad gradum cùm claritatis veneris,

Consistes agrè, & quàm descendas, decides.

Funus ad Carmelitas discalceatos delatum est, nō alia pompa, quàm ceterorum supplicio affectorum. O sæculum ferax SEIANORVM, eisdemque nimis infestum! Omnes tamen Seiani esse optant & student, nec movent exempla quæ ob oculos versantur. Ad eò mortalium animos obcæcat ambitio.

Eodem ipso anno ad exitum vergente,

B 5 CARO-

Luinijs mors

CAROLVS ALBERTVS, Dux Luinius, & Regni Galliaë Comestabilis, (quem ex humili loco ad summos honores ac præfecturas LVDOVICVS XIII. Rex, ingenti procerum inuidia ac murmure, extulerat) vivere desijt; vel eo nomine felix, quòd fortuna adhuc blandiente, suo in lectulo mortem obierit, non violentam aut infamem, qualis plerisque nostro æuo apud Principes gratiosis hominibus obtigit. Filium reliquit vnicum ex coniuge, *Herculus Rohanij Ducis Monbazonij filia*, & fratres duos opibus ac præfecturis florentes: quorum senior Vice-domini Ambianensis filiam vnicam, alter Principis Tingriensis filiam natu grandiorum, & Luxemburgici nominis insigniumq; gentilitiorū hæredē, sibi matrimonio iūxit.

Pax Hungarica.

Annum hunc claudat pax Hungarica, inter *Cæsarem & Gaborem Hūgarosq;* Nicoleopoli conclusa, his ferè conditionibus: Ex regno Hungariaë Betlenius cum suis intra dies quindecim abeat; Religio & templa Catholicorum restituatur in integrum; Antistites & reliquus Clerus, atque ipsi etiam Patres Soc. Iesu, domum redeant, ijs legibus, quibus antea, victuri in Hungaria; Betlenius ad vitā titulo Gubernatoris, habeat ea loca quæ sunt vltra Tibiscum fluuium, cis verò, urbē Cassouiesem, cum tribus Comitatus; Corona regni Tirnauiaë vsque ad comitia proximo

ximo Aprili celebranda adseruetur, inde tunc ad veterem suum locum, arcem videlicet Posoniensem, solenniter referenda; Tirnavia, & alia omnia opida seu loca à Betlenio occupata, Commissarijs Cæsareis ab eodem mox tradantur; Betlenius insuper, S. R. Imperij Princeps futurus, duos in Silesia Ducatus, & arces totidem, ad Esterhasium, nobilem Hungarum, antea spectantes possideat, certa pecuniæ summa, post eiusdem obitum, à nepotibus redimendas.

Dum apud Hungaros & Rhætos de pace tractatur, Thaborensi opido ac reliqua Bohemia ad obsequiū compulsa, FERDINANDVS Cæsar, vt eam Prouinciã assereret, *Caluinianâ* *Prædicantes* *à Bohemia* *proscribuntur.* Prædicantes Caluinianos, qui rebellionis omnis auctores Fredericum Palatinum ad Regnū euocarant, & anno 1618. famosum libellum publicarant, exilio mulctauit, diplomate Idibus Decembris Pragæ publicato.

Anno superiore exeunte, CHRISTIANVS Brunsvvicensis, Pseudo-Episcopus Halberstatensis, & OTTHO HEMANNVS Comes Styrumensis, copijs Batauicis subnixi, Comitatus *Waldeccensem* occuparāt. Anno 1622. ineunte lōgius progressi *Lippiam* opidū, in Comitatu Marcano, ad Lippæ & Paderæ confluētē sitū, & ab Henrico Comite Bergēsi, iussu ALBERTI Belgarū Principis, pro Cæsare, ante annos aliquot occupatum, *Lippiam occupat Halberstatensis.* ad de-

ad deditiōem compulerūt. Inde in agrum Paderbornensem ac Monasteriensem excurrentes, ingentibus V Vestphalos damnis atque iniurijs affecerunt. Quas vt vindicaret FERDINANDVS BAVARVS, Elector Coloniensis, idemq; Paderbornensis & Monasteriensis Episcopus, legiones aliquot peditem ac cohortes equitum conscripsit.

Alsatiā vastat Mansfeldius.

Eodem ipso tēpore ERNESTVS MANSFELDIVS validum equitatum in *Alsatiā* immisit, & *Hagenoam* urbem Imperialem, quæ multo auro paulo antea libertatem redemerat ingressus, maiora inde tormenta aliquot eduxit, perque Legatum suum *Tabernas*, Leopoldi Archiducis eiusdemque Antistitis Argentoratensis sedem, obsedit, sed frustra; municipijs ac pagis longè lateq; vastatis. *Viriatum* Lusitanum, *Eunum* Syrum, *Martinum* Rossesium, aut *Albertum* Brandeburgicum, cū suis prædonibus, dices reuixisse. Comes Salmensis, vir strenuus, qui *Tabernis* præerat, valida manu hostē abeuntē aggressus, sexcentos circiter cæcidit aut cepit.

Hæc tristitia : paulò nunc lætiora canamus. FERDINANDVS Cæsar, mēse Februario, secundam coniugem duxit ELEONORAM, Vincentij Mantuæ Ducis filiā, & Ferdinandi nunc regnantis sororē, nuptijs Oeniponte in Comitatu Tirolensi celebratis.

IOANNE GVILIELMO, Duce Cliuensi,
Iulia-

Iuliacensi, & Montensi, Comite Marchiæ & Rauensburgi, anno 1609. sine liberis defuncto multæ ac magnæ de hereditatis iure controuersiæ sunt exortæ, quæ vniuersam pene Europam in partes traxerunt. Septem omnino reperti fuere, qui aut totam hæreditatem, aut eius partem sibi deberi contenderent, *Guilielmus VVolfgangus*, Comes Palatinus Neoburgicus, IOANNES SIGISMUNDVS Elector Brandenburgensis, CHRISTIANVS II. Elector Saxo, MAGDALENA Ducis Bipontini vidua, Marchio Burgauia, CAROLVS Dux Niuernensis, & Comes Mauleurius. Hos inter, vt iure, sic & potentia, tres priores eminebant.

Vt cuiusque ius, quod pro se singuli allegabant, appareat, gētis stemma, paulo altius deductum, ob oculos ponemus. IOANNES Dux Cliuensis & Marchiæ Comes, ex MARIA, Ducis Iuliacensis & Montensis, Comitisque Rauensburgi filia vnica, GVILIELMVM suscepit, & tres filias quarum natu grandior SIBYLLA FREDERICO Saxonie Duci an. 1526. nupsit.

GVILIELMVS, trium istorum Ducatum & Comitatus vtriusq; hæres, ex Caroli V. Imp. sorore sustulit IOANNEM GVILIELMVM, de cuius hereditate nunc certatur, & filias quattuor.

MARIA LEONORA, natu maxima, nupsit

Cliuensis & Iuliacensis controuersia

psit *Alberto Frederico* Brandeburgico, Borussiae Duci, cuius filiam natu grandio-
Sigismundus Septemuir Brandeburgensis du-
 xit vxorem, qui iure primogenituræ ac re-
 præsentationis cæteris in hæreditate prior
 & potior haberi voluit.

ANNAM secundo genitam *Philippus Lu-*
donicus, Comes Palatinus Neoburgicus, sibi
 iunxit, ex qua natus est *VVOLFANGVS*
GVILIELMVS, Princeps Neoburgicus, cu-
 ius mater anno 1609. adhuc viuebat, eo-
 que titulo sibi tanquam propinquiori hæ-
 reditatem deberi iuxta leges Imperij asse-
 rebat.

MAGDALENA tertio genita in manus
 conuenit *Ioanni* Duci Bipontino, ex Comi-
 tibus Palatinis Rheni oriundo.

SIBYLLA natu minima vxor fuit Mar-
 chionis Burgauix, qui paucis post annis sine
 liberis obiit.

Saxo Septemuir Iuliacensem, aliasque di-
 tiones, ob defectum hæredis masculi ad pa-
 tronum seu supremum dominum hoc est,
 ad Cæsarem redijisse contendebat, & di-
 plomata producebat, sibi suisque maiori-
 bus per varios Imperatores cum donatione
 concessa.

CAROLVS Dux Niuernensis Cliuiam,
 Comes Mauleurius Marchiam, progenito-
 rum suorum titulo, repetebant.

Bello

Bello tot inter cōpetitores exardescente, Ordines Prouinciarum, de quibus quæstio, indictis Dusseldorpij Comitij, decreuerūt, vt *Brandenburgico & Neoburgico* Principibus hæreditatis administratio iunctim daretur, donec controuersia plenius definiretur. Diuersa parte RVDOLPHVS II. Cæsar, vt Dominus, Iudex, Sequester & Arbiter, per LEOPOLDVM Archiducem, astu Iuliacum opidum cum arce occupat. Saxo per oratores à Cæsare iuris possessionem impetrat, feudūq; Ducatus Iuliacensis an. 1610. die 7. Jul. accipit, & *VVmedaliã* in Flãdria, aliaq; bona apud Belgas sita, actione prius instituta, arripit.

Brandenburgicus & Neoburgicus, qui vniuersas penè ditiones communi manu occuparant, Batauicis, Gallicis, Britannicis, ac Germanicis auxilijs vndequaque aduocatis, anno 1610. Iuliacum à *Leopoldo* occupatum obsederunt, & pulso milite Cæsareo, tandem expugnarunt. Sed vt nec regna nec tædæ ferunt parem, omnisque potestas impatiens consortis erit, miles Brandenburgicus triennio post, insigni perfidia, Neoburgici Principis cohortem Iuliacum expulit, opidumque cum arce Batauis tradidit.

Ex eo tempore Ordines cōfœderati Belgici Iuliacum validissimo præsidio tenuerunt, ad annum vsq; huius sæculi vicesimum secundum, quo post quinque ferè mensium

obsi-

Iuliacum à nostris capitur.

obsidionem, *Henricus Comes Bergensis, Ambrosii Spinula* Marchionis legatus, præsidarios Iuliacenses fame exhaustos, ineunte mense Februario, ad deditiōem compulit.

Alberti Belgarum Principis exequia.

Iulio mense anni superioris ALBERTVM, optimum Belgarum Principem, ingenti vniuersæ Reipub. Christianæ damno, ad plures abiisse diximus. Hoc anno in vere, regio verè sumptu atque apparatu, Bruxellis exequiæ eiusdem, iussu viduæ Ser.mæ ISABELLAE CLARAE EVGENIAE, Hisp. Infantis, sunt celebratæ, ductaque pompa funebris, qualem à temporibus Caroli V. Cæsaris Belgica non vidit. Pompam mirificè decorabat (vt de equis per proceres ductis, deque vexillis Regnorum & Prouinciarum per eosdem, instar ferculorum, latis nihil dicam,) TRIUMPHALIS CVRRVS LIBERALITATIS, sex equis generosissimis, per mediam Urbem, à palatio vsque ad basilicam S. Gudilæ sacram tractus. In editiore loco sedebat LIBERALITAS, forma augusta; ante illam stabat ara, in qua iacebat *diadema imperiale*, quod à Septemuiris bis delatum ALBERTVS respuerat, *Coronæ* item variorū Regnorū ac Prouinciarum, quas idem FERDINAND II. Imp. patrueli suo viueris cesserat. Occasione funeris, optimo Principi ac domino meo, cuius in familia annos ferè sex vixi, Cenotaphium istud conscripsi.

SERE-



SERENISSIMO PRINCIPI

ALBERTO

PIO, SAPIENTI, PRVDENTI

A VSTRIÆ ARCHI-

DVCI; BVRGVNDIÆ, LOTHARINGIÆ,

BRABANTIÆ, LIMBURGI, LVCEBURGI,

GELDRIÆ

D V C I;

FLANDRIÆ, ARTESIÆ, BVRGVNDIÆ,

HANNONIAE, HOLLANDIAE, ZELANDIAE,

NAMVRCI, ZVTFANIAE

COMITI;

SACRI ROMANI IMPERII

MARCHIONI;

FRISIAE, MACHLINIAE, VLTRAIECTI

TRANSISALANAE, CRONINGAE, SALI-

NARVM

CO

genfis, Am-
præfidia-
ineunte
compulit.

BERTVM,
ingenti v-

no, ad plu-
vere, regio

uxellis ex-

r. mæ Is A-

, Hisp. In-

dompa fu-

oli V. Cæ-

n mirificè

es ductis,

inciarum

latis nihil

VS LIBE-

simis, per

ad basili-

n editiore

ma augu-

cebat dia-

s bis dela-

e item va-

quas idem

io viueris

o Principi

annos fe-

nscripti.

SERE-

NARVM ET ALIARVM DITIONVM

DOMINO;

NEAPOLI IN AVSTRIA M.D.LIX.

IDIB. NOVEMB.

PATRE MAXIMILIANO II.

CAESARE FELICITER NATO,

MADRITI CARPETANORVM, A TENE-

RIS, IN AVLA ET OCVLIS

A VVNCVLI

PHILIPPI II. REGIS CATHO-

LICI SANCTE EDVCATO:

QVI PRIMVS LVSITANIAE PROREX

AB EODEM CONSTITVTVS

REGNVN REGENS PARTVM AC FLV-

CTVANS SVA PRVDENTIA FIRMAVIT;

OLISIPONEM REGNI METROPO-

LIM ADVERSVS ANTONIVM

NOTHVN

ET FRANCISC. DRACVM CLASSIS AN-

GLICÆ DVCTOREM TERRA MARIQ. IRRV-

ENTES FORTITER DEFENDIT;

ERNE-

ERNESTO FRATRE E VIVIS

SUBLATO BELGICAE AC

BVRGVNDIAE

PRIMVM GVBERNATOR, POST PRIN-

CEPS BONO PVBLICO DATVS,

CALETVM, ARDERAM, AMBIANVM

GALLIS ERIPVIT;

HVLSTVM, OSTENDAM, VVACHTEN-

DVNCAM RHENIBERCAM, GROL-

LAM, OLDESALIAM, LINGAM

BATAVIS ADEMIT:

PACE CVM **HENRICO IV.**

GALLIAE

ET **IACOBO** MAIORIS BRITAN-

NIAE REGIBVS INITA,

ET DVODECENNALIBVS INDVCIIS

APVD BELGAS XL. ANNORVM

BELLO FRACTOS FESSOSQ.

PACTIS, IANI PORTAS

CLAVSIT

PACIS QVAM ARMORVM STVDIOSIOR:

C 2

REBVS

REBUS IN GERMANIA DEINDE
TURBATA

FRATRI MATTHIÆ CÆSARI
VALIDIS CVM EXERCITIBVS
SVPPETIAS TVLIT;

EIVSQVE NOMINE AQVISGRANI,
VESALIAM DVRAM, SVSATVM, LIPPIAM,
CRVCENACVM OPPENHEIMIVM,
TRARBACVM

ALIAQ. AD RHENVM AC MOSELLAM
OPIDA SVBEGIT;

PERDVELLES VNIONIS PSEVDO-
EVANGELICAE PRINCIPES FREGIT,
ET AD OBSEQVIVM

COMPVLIT;
PVBLICAM ECCLESIAE. IMPERII, SVAEQ.
GENTIS SALVTEM STABILIVIT:

QVOD SERA POSTERITAS VIX CREDET,
IMPERII ROMANI CORONAM A VII.
VIRIS BIS DELATAM
RESPVIT;

REGNA HVNGARIAE, BOHEMIAE,
DALMATIÆ CROATIÆ, SCLAVONIÆ,
BOSNIÆ SERVIÆ, HALITIÆ,
VLODOMIRIÆ COMANIÆ
ET BVLGARIÆ ARCHI-

ARCHIDVCATVM AVSTRIÆ, DVCATVM
SILESIE MARCHIONATVS MORAVIÆ, LVSATIÆ
ET BVRGAVIÆ COMITATVS HABSVRGI,
TIROLIS, FERRETÆ ET KIBV RGI
PRINCIPATVM SVEVIÆ

LANDTGRAVIATVM ALSATIÆ
MARCHIAM TERGESTINAM, PORTVM
NAONIS ET ALIA DOMINIA

HEREDITARIO IVRE AD SE DEVOLVTA

FERDINANDO II. IMP.

PATRV ELI SVO

RARO ET INAVDITO HACTENV S
EXEMPLO DONATIONE INTER VIVOS
CESSIT AC CONSIGNAVIT:

ACERBISSIMIS CHIRAGRAE AC
PODAGRÆ DOLORIBVS, QVOS FORTISSIME,
NUMQVAM QVERVLVS, TVLIT,
DEMVM EXHAVSTVS,

BRVXELLÆ PRID. IDVS IVLIAS
ANNI M. DC. XXI. PISSIME ET
ANIMO QVAM MAXIME TRANQVILLO
OBDORMIVIT.

C 3

PRO

PROVINCIAE BELGICAE,

OB RELIGIONEM, PIETATEM,

PVDICITIAM, FORTITVDINEM,

CONSTANTIAM, IVSTITIAM,

PRVDENTIAM

ALIASQ. VIRTUTES VERE REGIAS,

QVIBVS TOTO VITAE DECVRSV

CLARISSIMVS, HOSTIBVS ETIAM

GRATVS EXSTITIT,

IN PIENTISSIMVM PATRIAE PARENTEM

AFFECTVS TESTANDI CAVSSA

P. P.

Junius 4 : Grayer 7.
Rudolf & Sifus
Junius Rabyn
Grafen Sifus
Gayer Rf.



9
C 466 7

ULB Halle

3

004 788 346



VDM

Mit



AVC
 COMM
 DE
 BOH
 FERDIN
 CÆ

AV
 FELICI
 Ex quo seditiosissim
 nium, & præf
 lice

AV
 AVBERTO MI
 S. Theologia Licentiat
 nissima ISABEL
 NIAE, Hiss

COLONI
 Imprimeba

ANNO

